





1790.

EXERCITATIO FEVDALIS  
II.

14  
1714

A

11

DE  
**VARIIS**  
**FEVDORVM**  
**DIVISIONIBVS**

A

QVAM  
PRAESIDE

**GODFR. LVDOV. MENCKEN**  
D. P. P. COLLEGIORVM IVRIDICORVM  
QVAE VITEBERGAE SVNT, VT ET IVDICII  
PROVINCIAL. IN MARCHIONATV INFERIORIS  
LVSATIAE ASSESSORE

**DOMINO ET STVDIORVM SVORVM**  
PROMOTORE AETERNVM COLENDO

D. MAI. MDCC XIX.

PVBlice TVEBITVR

AVTOR

**GOTTL. CHRENZKE GRVHL.**

EX OFFICINA VIDVAE GERDESIAE.

EXERCITATIO FENDLIS  
II

VITAE  
MEMORIALIS  
AMPERIUM CONSULIS  
F E V D O R V M  
D I V I S I O N I B U S

DYNASTIAE ROMANORUM  
SACRAE PALATINAE MAJESTATIS  
GODFRIDUS LUDOVICUS MENCKEN  
D. P. P. COLLEGIUM UNIVERSITATIS  
OVARUM INTERIORUM VIENNAE VIENNAE  
PROVINCIAE IN ARCHIDUCATU VIENNAE  
PRAEFECTUS ASSessoribus  
DOMINUS STANISLAVUS  
PROVINCIAE VIENNAE  
D. MAL. MDCCLXXIX

AVTOR  
GODFRIDUS LUDOVICUS MENCKEN

EX OFFICINA VITAE GERMANICAE



VIRO  
PRAENOBILISSIMO  
AMPLISSIMO CONSULTISSIMO  
DOCTISSIMO  
DOMINO  
GODOFR. GRVHL

DYNASTAE IN GÜLDENSTERN  
SACRAE POL. REGIAE MAJE-  
STATIS ET ELECT. SAXON.  
COMMISSIONVM CONSILIARIO  
MERITISSIMO

VI ET  
PRAEFECTVRAE MVHLBERGENSIS  
INSPECTORI LONGE GRAVISSIMO

PATRO-

VIRO  
PATRONO AC PATRVO SVO  
MVLTVS NOMINIBVS  
COLENDO

HOCCE QVALECVNOVE SPECIMEN  
IN PERPETVAM AETERNI OBSE<sup>Q</sup>VII  
TESSERAM

DAT DICAT CONSECRAT  
MERITISSIMO  
AVTOR



B. C. D.

DE  
FEVDORVM VARIIS  
DIVISIONIBVS.



Irca varias Feudorum distinctiones occupatus magnos sane DD. in hac materia labores deprehendo, vbi alii illam, alii aliam pro praecipua diuisione venditant, quae reliquas omnes suo ambitu complectatur. Sed hanc sibi fingant & forment, vt velint, mihi persuasum est huiusmodi primariam diuisionem non dari, neque illam adeo amplam ac generalem esse, vt ei omnes subordinari possint. Caeterum harum diuisionum tam ingentem a quibusdam Dd. numerum tradi video, vt THOM. de MARINIS a FINCKELTHVS. *Disp. II. Feud.* citatus earum iam centum & decem numeret, & satis facete *1l.* EYBEN. *El. Feud. c. 3. §. 2.* de eiusmodi diuisurientibus dicere existimo, quod iis sint similes, qui, cum Ducatis

A 2

queant

EXERCITATIO II.

queant & thaleris, albis malint & crucigeris facere solutionem aut recipere. Ego insuper habitis inutilibus & minuti aeris diuisionibus illis, circa eas potissimum laborabo, quae a causarum & effectuum diuersis qualitibus necessario sunt desumendae, atque quod in iis iuris obtineat, vbique potissimum fundatae sint in ipso iure Feudali, paucis ostendam.

## §. I.

Primam omnium diuisionem pono, quod Feuda sint I. *propria* vel *impropria*; Describo vero *propria* Feuda, quod sint ea, quae a *Feudi naturalibus* nulla ratione recedunt. Siue, vt 2. F. 2. §. 2. verba habent, *quae communem Feudi rationem retinent*; Dico naturalibus, quippe quae ipso iure semper adsunt, nisi inter contrahentes aliter conuentum; quae opponuntur substantialibus & accidentalibus Feudorum, quorum illa omni Feudo & semper inesse debent, & salua eius essentia abesse non possunt, haec extrinsecus, pactis fortassis, accedunt, ac naturam eius non alterant. Vt autem, quid velim mihi per naturalia, manifestum fiat, intelligo per ea qualitates externas in Feudo ita concurrentes, ut formam eius externam constituent. Vnde & regulariter adesse praesumuntur, nisi aliter conuentum esse doceatur.

## §. II.

Referuntur autem ad naturalia potissimum haec  
(1) Praestatio iuramenti fidelitatis, adeo, ut *iuxta 2. Feud. 3. in fin.* nulla inuestitura ei fieri debeat, qui recuset fidelitatem facere 2. f. 4. §. 24 §. 1. Hinc qui subducere se praestationi huic cupit, probare debet, in inuestitura hoc sibi remissum esse, (2) Masculorum successio, vt *feminae* exclu-



excludantur 1. *Feud. §. 2. i. F. 1. §. 3. 2. F. 23. in fin.* cuius rationem communiter Dd. hanc tradere solent, quia seruitia, quae Vasallo regulariter incumbunt, praestare non possint, quae & 2. *F. 36.* confirmatur; Forte etiam, quia vereres fidei & fidelitatis seruandae eas non capaces satis credere. Accedit obligatio (3) ad seruitia eaque non definita, sic etiam clare 2. *F. 23. in fin.* legimus; ut fideliter Domino seruire debeat Vasallus, siue seruitium nominatum, siue indeterminate, sit promissum. Hinc, vbi certa tantum seruitia promittuntur, nota est Feudi improprii, de quibus infra pluribus agendum. (4) Huc pertinet denegatio alienationis, Lothario & Frider. III. Imperatoribus sat grauiter ita 2. *F. 52. §. 55.* constituentibus, ratione addita, ne, si promiscue alienationes absque consensu Dominorum licitae essent, Vasalli seruitia Dominorum suorum subterfugiant, & res publica inde sentiat detrimentum; valebit etiam, quia Dominus directum sibi Dominium semper reseruat. Quid quod etiam Dominus in concedendo Feudo personae, cui id concedit, respectum habuisse credatur, qui in eo, ad quem per alienationem Feudum perueniret, facile posset cessare. Pariter prohibita factio testamenti, eandem ob causam, ne vnquam Domino praeiudicetur. Ex praedicto fundamento paritateque rationis & ipsi Seniore directi sui Domini alienatio interdicta 2. *f. 34. §. 1. 2. f. 55. §. 1.* (5) Desideratur renouatio inuestiturae, siue Dominus siue Vasallus decesserint, quia in vtroque casu, Vasallus siue defuncto Domino superstes, siue mortuo antecessori suo succedens, nouum sortitur Dominum, quem sane fidei suae per renouationem inuestiturae reddere debet certiorum: Et hoc ita est necessarium, ut sub poena amissionis

tionis Feudi *in text. 2. F. 24.* praecipitur. (6) Ad naturalia refertur ablatio Feudi ob culpam *1. F. 8.* vt habeat Dominus aliquam iniuriae vltionem. (7) Feudum in immobilibus tantum & iis, quae iure pro immobilibus habentur, constitui debet *2. Feud. 1. in fin.* Iraque Feudum erit improprium, quod in re mobili constituitur, & ad quasi vsumfructum propius accedet, cautio etiam de re non deterioranda perinde desiderabitur, ac in quasi usufructu. Sane in Bibliotheca aliisque corporibus sunt, qui verum feudum constitui posse credant, cum immobilium quodammodo habeant rationem. Mihi tamen & hoc Feudum improprium viderur. (8) Ex dispositione *text. 1. F. 1. §. 4. & 2. F. 23. in fin.* in hunc ordinem referunt, vt Feudum concedatur in perpetuum, quod, licet iure antiquo aliter constitutum, vbi vltra quartum gradum successio non dabatur *1. F. 8. §. 1.* iure nouo tamen vtique receptum. (9) Feudum gratis pretio non interueniente concedi debet *1. F. 27.* cum enim beneficium sit Feudum, h. e. beneuola actio, qua tribuens gratis aliquid in accipientem confert *2. F. 23.* sequitur, omne hic pretium abesse debere. Ex accipientis enim, non ex dantis, utilitate beneficium aestimatur, *SENECA de Benef. 4. n. 3.* itaque, vbi dantis iam commodum aliquod subest proprii beneficii, saltem si Iuris Longobardici principia sequaris, naturam exuisse censebitur.

### §. III.

Haec potissima sunt, quae omni Feudo, si proprium illud audire debeat, inesse debent; Non ignoro equidem, plura adhuc passim a DD. in systematibus tradi, *vid. BEYER Pos. J. F. cap. 1. §. 21. ff.* quia tamen pleraque vel ita comparata sunt, vt iis, quae dixi

dixi, jam tacite comprehendantur, vel etiam per contrarium usum in desuetudinem abierint, eorum proluxa narratione supersedere me posse credidi. Sic naturalibus annumerant, ut Vasallus in propria persona debeat seruire, & allegant text. 2. F. 55. §. firmiter. Quod vero adeo hodiernis praecipue temporibus in usu esse desiit, ut inter omnes manifestum sit, vix vnum vel duos dari Vasallos, qui seruitia in persona praestent. Sed nec ex dicto textu satis apparere existimo, quod absolute in persona peragi debeant, idque verba: *nisi alium Domino acceptabilem* &c. mihi persuadent. Si enim alium mittere potest Vasallus, sequitur, Dominum absolute ejus propria seruitia efflagitare non posse, plura vid. apud BEYER. cap. & loc. supr. cit. EYBEN. *El. Feud. Disp. de Caus. Feud. §. 9. & 10.* quae breuitatis studio hic omittimus, & potius ad ipsas *proprii Feudi subdiuisiones* statim transitum paramus.

## §. IV.

Si respectu acquisitionis Feudum consideres, vel vetus seu Paternum illud est, *Ein Stamm-Lehn*, vel nouum 2. F. 3. *Vetus* siue Paternum est, quod possidetur ab illo, qui a primo acquirente descendit. 1. F. 4. §. 2. Coniungo vetus & paternum, ad significandum, nullam inter haec duo, quod nonnulli volunt, dari differentiam. Non enim demonstrari potest, in I. F. unquam haec Feuda sibi inuicem opponi, quin potius eadem ratione ac veteri 2. F. 3. sic & paterno 2. F. 11. & 12. nouum Feudum opponitur, ut itaque ipsum ius Feudale quoad effectum, plane inter haec non distinguat. Nouum est, cuius causam acquirens a Domino, primum & de nouo habet. 2. F. 32. Differentia inter vetus & nouum Feudum ratione

ne successionis praecipue sese exerit, cum in antiquo ultimi possessoris collaterales succedant, modo descendunt a primo acquirente 2. F. 8. (quod iure Saxonico non obtinet, nisi simultaneam inuestituram obtinuerint. *Sächs. Land-R. c. 32.*) in nouo descendentes tantum possessoris admittantur. Non impedit tamen haec diuersitas, quo minus vtrumque & vetus & nouum pacto etiam tale fieri possit, sic nouum Feudum iure antiqui (*nach Art vnd Eigenschaft eines Stamm-Lebens*) vtique concedi potest, quamuis vt causa & origine sua nouum maneat, quoad effectus iuris tamen veteri aequiparetur, vimque eius, si non per omnia, certe per plurima, assumat. Sic, si quis de nouo Feudo inuestiatur hoc pacto, vt collaterales quoque succedere debeant, iure antiqui Feudum hoc concessum esse deprehenditur. Dixi, quod Feudum nouum iure antiqui concessum assumat vim veteris per plurima, non per omnia, neque frustra dixi. In hoc enim differentia inter Feudum natura vetus & pacto tale consistit, quod illud possessor, ne quidem cum consensu Domini, alienare queat, si agnati contradicant, ad quos aliquando Feudum est reuersurum 2. F. 39. Hoc autem, dummodo Domini voluntatem explorauerit, postea pro lubitu alienare potest, etiamsi contradicant agnati, cum enim ius Feudi antiqui hic non ex inuestitura prisca, sed ex conuentione inter Dominum & Vassallum, nascatur, eorum contraria voluntate iterum tolli potest, nec habent, quod accusent, agnati, quippe qui ex pacto inter alios celebrato ius plane nullum sibi acquirere possunt, nisi & ipsis simul hoc pacto promissa sit successio, tunc enim in praeiudicium eorum alienatio fieri nequit. Grauior est quaestio, an Feudum antiquum

tiquum per pactum nouum fieri possit, quod communi consensu Dd. ex uariis rationibus negant, quod tenor inuestiturae semper spectandus sit, a quo plane conditio Feudi dependeat, vt adeo agnatis ius ex inuestitura veteri quaesitum per pactum alterius interuerti nequeat. Nos ita demum affirmamus, si agnati consentiant: *vid. 2. F. 39. & 45.* tum enim scientibus nec contradicentibus iniuriam fieri dici nequit. Anxie distrahuntur Dd. quod Feudum in dubio praesumatur, an vetus an nouum? & plurimas circa hanc controuersiam dissensiones congestit FINCKELTH. *Disp. II. c. 14.* Communiter distinguunt, utrum Dominus an Vasallus possideat, & possidente Domino praesumptionem esse dicunt pro nouo Feudo, possidente Vasallo pro antiquo. Si vero neuter possideat, variae Dd. opiniones sunt, alii enim volunt neque vetus neque nouum praesumi, vt vterque intentionem suam, si agat contra tertium, probare debeat. *vid. BEYER. pos. I. F. c. II. §. 36.* Alii praesumptionem esse pro antiquo statuunt, ducti imprimis text. 2. *F. 11. & 2. F. 26.* Sed prior sententia iuris rationibus magis conuenit, vt, qui allegat antiquum esse, si in eo fundamentum actionis suae collocet, probare id, quod asserit, iubeatur. Quamuis, si verum fateri velimus, in Saxonia nostra haec controuersia, propter necessariam in linea collateralis simultaneam inuestituram exiguae admodum utilitatis sit, cum, siue nouum siue antiquum Feudum appelles, agnatis, qui simultanee non sunt inuestiti, nullum successionis ius unquam competat.

## §. V.

Ratione *obiecti* si Feudum respiciamus, vel Ecclesiasticum illud est vel seculare. *Ecclesiasticum est,* quod

EXERCITATIO II.

B

in re

in re Ecclesiastica constituitur. In re dico, vt significem, falsam esse quorundam opinionem, qui hanc distinctionem a personis concedentibus Feudum deriuare uolunt, non enim hic respectus habetur personae Ecclesiasticae, quae Feudum dare debeat, vt inde denominationem suam accipiat, sed obiectum siue materia hic consideratur, nempe ipsa res Ecclesiastica. Hinc sequitur & Laicum, dummodo disponendi facultatem habeat de rebus Ecclesiae, Feudum Ecclesiasticum concedere valere, (id quod a Principibus Protestantibus vtique fieri videmus) & posse etiam Laicum possidere Feudum Ecclesiasticum, si hoc ipsi ab Ecclesia sit concessum. Seculare est, quod in re seculari constituitur; Ex quo sequitur, & Clericum posse alteri Feudum seculare dare, si habeat bona propria, quod innuit text. 2. F. 35. & ipsi a Laico eiusmodi Feudum dari. Ex noto brocardico illo: *Krumstab schleuße niemand aus*, foeminas in Feudo Ecclesiastico posse succedere, sunt qui perhibent, sed opinionem eorum talo satis infirmo niti text: 1. F. 1. §. 3. 1. F. 8. &c. abunde declarant, & FINCKELTH. *Disp. Feud. II. controu. 6.* luculentis rationibus euincit, & praecipue duos casus illos 2. F. 11. solos expressos vrget, in quibus procedat foeminarum successio, & recte quidem, hae enim exceptiones, quia solae in iure Feudali sunt constitutae, regulam in casibus non exceptis confirmant. Quod vero in Feudis Fuldensibus, Hirschfeldensibus, Corueiensibus &c. foeminae succedant, id potius consuetudini speciali attribuendum, quae in consequentiam non trahenda, sed, cum facti sit, semper probanda.

## §. 6.

*Qualitatis* ratione diuiditur Feudum in Nobile & ignobile

bile, & haec est diuifio maximis Dd. diffenfionibus obnoxia. FINCKELTH. nobile definit, quod tribuit nobilitatem militarem, ignobile, quod nobilitatis militaris eft expers: Describitur alias prius, quod ab eo conceditur, qui habet voluntatem & potestatem nobilitandi. Varias hinc ortas diuifiones, vbi nobilitatem vel personae esse dicunt vel rei; porro nobile Feudum in effectiue & obiectiue tale difpescunt, illud vocant, quando & personae & rei nobilitas simul transfertur, hoc, quando tantum rei nobilitas transit, ut pluribus habet BEYER. c. II. §. 42. *sqq.* Quas quidem distinctiones suo loco relinquimus, cum hodie forte non adeo magnus fit illarum, apud nos, usus, vbi nobilitas raro confertur cum praedio, neque illi adhaeret. Subdiuiditur Nobile in Regale & non Regale; Illud cuius fundamentum 1. F. 14. & 2. F. 10. inuenimus, describitur, quod a summo Principe conceditur cum dignitate regali. Summum Principem studio dico, vt significem, erroneam esse opinionem eorum, qui a solo Imperatore Feuda Regalia concedi posse perhibent. Quis enim dubitet, alios etiam Reges feuda regalia dare posse? videatur ZIEGL. de J. M. c. 3. §. 15. 16. Quod si Imperium nostrum Romano-Germanicum respicias, facilius certo modo admitti illa sententia poterat, ZIEGL. tamen non immerito dubitat c. 28. §. 27. an statim ille, cui Feudum Regale concessum fit, regalem dignitatem nanciscatur, cum notum sit, dari etiam nudos possessores comitatuum (*bloffe Inhaber der Graffschafften*) qui tamen ideo dignitate Comitis non fruuntur: quod utique fieret, si tacite semper ejusmodi Feudo nobilitas quoque personalis inesset, nisi regni fortasse mores sic obseruent, ut Ducatum non nisi Dux &c. possidere debeat. Quod de iure

Saxonico in Regali seculari expeditum per text. *Lehn-R. c. 21. in fin.* *Es erböhhet nichts des Mannes Wappen denn Fabnen Lehn.* Antiquitus enim in seculari per vexilla *vid. Land-R. Lib. 3. Art. 60.* inuestitura fiebat, ideo praecipue quia, sequendo in militia vexillum, hoc sibi Feudum quasi promeruisent. Ecclesiastica autem per sceptrum concedebantur, quia haec mera ex gratia proueniebant, & signum olim singulare gratiae habebatur sceptrum, id quod *FINCKELTH. Disp. II. controv. 8.* ex ipso sacro Codice deriuat, ubi Ahasuerus Rex Esther Reginae gratiam singularem exhibiturus, sceptrum illi porrexit. Inuestiendi tamen hic modus postea exoleuit, ut hodie promiscue in Seculari & Ecclesiastico per gladium inuestitura perficiatur. Pertinent huc in Ecclesiasticis Patriarchatus, Archi-Episcopatus, Episcopatus &c. vt in Secularibus Electoratus, Ducatus, Principatus, &c. quae reliqua non differunt, nisi quod secularia ad successores transeant, Ecclesiastica non aequae. Hinc patet, quomodo differat Feudum Regale Ecclesiasticum ab illo Ecclesiastico cuius *s. antec.* mentionem fecimus. Hoc enim ratione obiecti est Ecclesiasticum, illud vero sic nominatur a qualitate in Personam translata. Non Regale Feudum *2. F. 34.* est, quod ab eo, qui nobilitandi potestatem habet, concessum est cum dignitate Regali minore, hinc, per *DD.* interpretationem, ea tantum iura tributa creduntur quae expressa, cum in Regali in dubio omnia iura concessa praesumantur, quae Princeps in territorio suo exercet; diuinitatem quoque recipit illud, quae in hoc per expressum textum *2. F. 55.* est prohibita, & praecipue ratione Electoratum in *Aur. Bull. tit. 20.* nec iudicium fortitur idem minus Regale cum Regali,



Regali, hoc enim *iuxta 2. F. 34.* coram Principe, non Regale vero coram Paribus curiae iudicatur. Sequitur denique ignobile siue Burgense *Bürger-oder Bauer-Lehn*, non sic dictum a Possessoribus, quasi rustici siue alii vilioris fortis homines illud tantummodo tenere debeant, sed quia eiusmodi iura & eiusmodi praerogativae non connexae sunt huic Feudo, quae nobili & aliis. Sicuti autem ignobilis; qui Feudum nobile acquirit, exinde quoad personam, nobilitatem nullam plane recipit, ita & nobilis ignobile Feudum possidere potest, ut ipsius nobilitati nihil detrahatur.

## §. VII.

Formae intuitu DD. diuidunt Feudum in Ligium, & non Ligium, eiusque fundamentum ex *2. F. 99.* perhibent; Ligium definiunt, in quo Vasallus Domino contra omnes, nullo plane excepto, fidelitatem praestare debet; non Ligium, in quo aliqui tacite excipiuntur, ne contra eos praestetur fidelitas. *14. EYBEN. c. 3. §. 7. seq.* summam hanc Feudi in genere diuisionem putat, variisque ibi eius etymologias habet, ex quibus dein utilitatem & veritatem huius diuisionis adstruit, & contra Molinaei, assuetus defendit. Plurimi existimant, commentatores iuris Feudalis hanc diuisionem proposuisse, ipsis vero Feudistis plane aliam mentem fuisse; Allegatum textum *2. F. 99.* extraordinarium male vrgeri, cum notum sit, capitula extraordinaria in causis, quae contra communem Feudorum rationem sunt, nihil probare, dein, quoniam Feudi Ligii facta est mentio, non statim sequi, dari & non Ligium, quin potius, cum communiter deriuetur a ligando, epitheron illud omnino Feudo conuenire, ut *EYB. d. l.* satis erudite mon-

ner. Omni enim Feudo fidelitas inesse debet, tanquam praecipuum substantiale, & *iuxta text. 2. F. 7.* contra omnes homines etiam fidelitas promittitur, ita tamen, vt non impediatur hoc iuramentum, quin tacite semper Dominus antiquior excipi possit, sic innuente *text. 2. F. 28.* in Feudo Ligio vero idem obtinere *vid. pluribus FINCKELTH. Disp. II.* Ratione situs tandem aut reditus diuiduntur Feuda propria in ea quae sunt in curte & quae extra curtem Domini *1. F. 18. 2. F. 51.* Vocem hanc antiquae Longobardicae linguae commentatores communiter adscribunt, in qua idem significauit, quod nobis hodie territorium, sine dubio itaque melius esset, si, relictis terminis exoletis, scapham scapham appellaremus, ne opus esset explicatione, sed elegantius cum ipsis Feudistis loqui plurimi affectant, quod ipsis sane non inuidebimus. In Curte Feudum definiunt, quod est in territorio Domini, extra Curtem quod est extra territorium, hoc est, quod Vasallus habet in praediis, quae Dominus habet in territorio alieno.

## §. VIII.

Haec de proprii Feudi diuisionibus pro instituti nostri ratione dixisse sufficiat, antequam tamen ad vltiora progrediar, non abs re fore existimo, si breuissimis moneam, foeminam in omnibus Feudis, etiam in ipso Feudo foemineo, nunquam succedere, si supersit adhuc ex primo acquirente Masculus, id quod *2. F. 17. & 30.* expressis verbis perhibetur; nisi quod in Fuldensi Feudo per consuetudinem aliter sit introductum, vbi sine discrimine sexus proximi semper consanguinei succedunt, vt EYBEN. *El. Feud. c. 3. §. 10.* testatur. Quod si tamen semel admissa sit foemina ad Feudum, & po-  
stea

stea superueniat masculus, hoc foeminae non nocet, nec restituere tenetur Feudum, quod semel legitime acquisiuit, sed masculus expectare debet deuolutionem.

*vid. STRUV. p. 333.*

§. IX.

Feuda secundo perhibentur eiusmodi quae propriam Feudi naturam non habent, iure tamen Feudi censentur. *2. F. 48.* Sed haec ipsa sunt feuda impropria, quae, licet in quibusdam a feudi propria natura recedant, in ceteris tamen eam seruant, vt frustra sint, qui hic nouam feudorum speciem, quae nec propria sunt nec impropria, comminiscantur.

§. X.

Feuda igitur impropria sunt, quae a naturalibus supra memoratis recedunt, hinc tot eorum species esse possunt, quot modis naturalia mutari possibile est; In praesens aliquas, easque fere praecipuas, exempli loco recensero, atque quid iuris circa illas obtineat paucis exponam. Si personae acquirentis habeamus rationem, offert se vltro Feudum foemineum, cuius *2. F. 30.* & aliis locis mentio iniicitur (*ein Weiber oder Kunkel-Lebn*) vbi deficientibus masculis foeminae succedere possunt, & hoc si a foemina primitus acquisitum sit, proprie audit foemineum. Quaeuis enim res ex sua origine potius appellari solet, praesertim in iure Feudali, vbi ex communi regula primum semper principium sedulo respiciendum; Quod si ex pacto foeminae succedant etiam quidem foemineum vocatur feudum, sed in significatione largiore & ab effectu iuris desumpto; masculinum enim manet nihilominus illud, rationem originis si spectes, quia primus acquirens masculus fuit, quemadmodum

dum foemineum manet perpetuo, quod foemina acqui-  
 sivit, licet concessum sit *zum Mann-Lebn*. Caeterum  
 dantur feuda, vbi, etiam si nullum pactum interpositum  
 sit, foeminae tamen in subsidium succedunt. Quod e-  
 xemplis probat BEYER. I. F. c. III. §. 25. Nam hic con-  
 suetudo vim habet pacti taciti, aut si maius naturam  
 feudorum mutat, vt vsu illarum prouinciarum, quo omnia  
 feuda regulariter sunt foeminea, impropria illa vix pos-  
 sint appellari. Per modum acquirendi mutatur in na-  
 turalibus Feudum pignoratitium (*ein Pfand-Lebn*) quod  
 est, quando aliena res in Feudum datur vice pignoris sub  
 lege fidelitatis, donec reluatur, hinc quod inter natura-  
 lia supra retulimus requisitum, in perpetuum concedi  
 debere Feudum, hic deficit, & ex eo quod ab Antichre-  
 si I. C. parum differat, haud incongrue multos conclu-  
 dere existimo, omnes haeredes & foeminas in hoc Feu-  
 do succedere posse, quia ius pignoris regulariter in  
 omnes haeredes transit, donec res reluatur. Caue ta-  
 men confundas hoc pignoratitium cum oppignorato  
 Feudo, hoc enim est quod Vasallus tertio oppignora-  
 uit, qui tertius respectu pignoris huius non fit Vasallus,  
 neque fidelitatem enim neque seruitia praestat, sed op-  
 pignorans manet Vasallus, Feudum etiam verum &  
 proprium manere potest, si nimirum requisita ad oppi-  
 gnorationem in I. F. praescripta obseruentur. Refer-  
 tur huc etiam Feudum oblarum, quod est quando Va-  
 fallus inuestitur de re propria, quam antea Domino tra-  
 didit, sub conditione illam iterum in Feudum recipien-  
 di. Originem suam haec Feuda frequentibus ante Pa-  
 cem publicam diffidationibus debent, cum enim alter  
 alterum incurfionibus lacefferet, potentioribus reliqui  
 bona

bona sua offerre cogebantur, vt in protectionem recipere-  
rentur, *vid. STRUV. p. 251.* Inde oblatum siue recogni-  
tum audit (*ein aufgetragen Lehn*) & ideo impropriis an-  
numeratur, quia ex mera Domini liberalitate non pro-  
ficiscitur *add. HERTII & THOMASII de his Feudis Disserta-  
tiones.* Iniuratum Feudum etiam in hunc censum re-  
ferunt, quod conceditur absque iuramenti fidelitatis  
praestatione *2. F. 3. in fin.* ipsa fides vero non remitti-  
tur, quia alias Feudum plane non posset subsistere. Lo-  
cum potissimum habet Feudum hoc si superior ab in-  
feriore inuestiatur. Obiecti intuitu improprium est Feu-  
dum quod in re mobili constituitur v. g. in pecunia, *vid.*  
*FINCKELTH. Disp. I. controu. 3.* vbi contrariam sententiam  
simul refutat; Exemplum habes, si inuestiatur quis de  
certa pecuniae summa, vt vsuras inde accipiat. Cum  
Feudum hoc maximam cum quasi vsufructu conueni-  
entiam habeat, hinc & cautionem eiusmodi Vassallus  
haud secus ac in vsufructu Domino praestare debet de-  
forte, deficientibus haeredibus feudilibus aliquando, resti-  
tuenda, & haec cautio efficit, vt directum Dominium  
Dominus habere censeatur & sic consistere possit Feu-  
dum, sine hac cautione tanquam in re constitutum cito  
peritura, non diu duraturum. Quamuis autem regula-  
riter quilibet rerum suarum moderator ac arbiter sit,  
pecuniam tamen in Feudum alteri dare vt quis  
possit, eo cum effectu vt pro Feudali habeatur, necesse  
est, vt is qui territoriali potestate gaudet consentiat; quod  
constanti vsu sic obseruatur. *vid. NORIC. addit. ad. FIN-  
CKELTH. Disp. III. cont. 9.* vbi praedictum Lipsienfium  
in hanc sententiam allegat.

EXERCITATIO II.

C

§. II. Ser-

## §. XI.

Seruitiorum quoque, quae regulariter in feudo praestari debent, occasione quaedam impropria Feuda efficiuntur, & illa quidem vel plane remittuntur vt in Feudo Franco (*Frey-Lehn*) quod liberum est a seruitiis contra naturam Feudorum 2. F. 23. Intellige tamen seruitia illa quae ad naturam Feudi spectant, a fidei enim obligatione liber neuiquam est Vasallus talis, quippe quae ad essentialia Feudi spectat, sine qua Feudum, vt aliquoties dictum, non potest consistere, quo intuitu coniugibus equiparari videas Dominum & Vasallum 2. F. 58. pr. Hinc in dubio & iuramentum fidelitatis praestandum, nisi expresse & hoc remissum, regula enim semper firma manet qua dicimus, *Feudum aliqua ex parte improprium in reliquis naturam feudi proprii seruare.* Liber itaque erit Vasallus a seruitiis equestribus & aliis quae fidem necessario non requirunt, quod si vero de vita, de fama Domini agatur, obstrictus erit utique illum defendere, quia alias fidem erga Dominum laederet & feloniam committeret. Ad successionem in hoc feudo foeminas peruenire posse ex eo communiter probant, quod seruitia non praestet Vasallus, adeoque ratio illa, ob quam excluduntur maxime mulieres, hic cesset. Porro impropria Feuda sunt, si seruitia certa determinentur, cum naturale Feudi sit vt ad incerta seruitia obligetur Vasallus. 2. F. 23. Itaque Conditionatum 2. F. 2. §. fin. *ein Sess-Lehn.* vbi certis seruitiis expressis reliqua censentur remissa, item Burgense *Ein Burg-Lehn*, quod respicit defensionem Domini in certo castro, hoc intuitu est improprium; sed & Censuale Feudum huc pertinet, vbi loco seruitiorum certus praestatur census. Quod

in

in quo a natura Feudi degeneret, facile quisque videt; Censum tamen hic intelligas non praecise in numerata pecunia consistentem, sed quamuis pensionem annuam, quae etiam per alias quascunque res, si ita placuerit, potest solui. Exempli loco sunt in Thuringia die *Kapfabn-Güter* quorum mentionem facit FINCKELTH. *Disp. II. cont. 3.* Etiam in hoc Feudo foeminas succedere posse probabile est, quia censum non minus praebere possunt, nisi & speciatim alia seruitia simul requirantur. Iungimus huic Feudum Laudemiale vbi honorarium investiturae soluitur, nec multum differre puto hoc a Censuali cum BEYER. *c. 3. §. 56.* Falluntur enim qui haec non minus quam censitica praedia ab Emphyteusi differre volunt, quia in censiticis transfertur plenum Dominium, adeoque ab his ad Censuale Feudum non recte argumentum deducitur. Sequitur Feudum Guardiae quod propter custodiam castri S. oppidi conceditur *1. F. 2.* Interpretes deriuant a Germanica voce *warten, bewahren*, quasi dicas obseruare concreditam sibi arcem. Sunt qui contendunt ipsam arcem Feudum esse, nec aliud quicquam dari propter custodiam, verba tamen in alleg. text. *mercedis loco*, vt communi sententiae adhaereamus persuadent. Improprium etiam est hoc modo Feudum Gastaldiae *1. F. 2.* de cuius vocis deriuatione non est quod enixe disquiramus, cum plurima quae circa has Longobardicas voces dicuntur, probabilitate tantum niranur. *vid. in FINCKELTH. Disp. II. cont. 23.* Sufficit nobis quod detur loco mercedis, pro officiis domesticis quae Vasallus praestat. Circa definienda illa officia contrahentes conueniunt, vt determinatas suas rationes habeant. Huc forte referas officia aulica quae

Illius V

C 2

Prin-

Principibus praestantur, si per feudum conferantur e. g. *Ein Ober-Kuchen, Ober-Stallmeister-Amt.* Aduocatae Feudum (*ein Schutz- oder Schirm-Lehn*) 2. F. 27. est quod pro defensione Urbis aut Ecclesiae siue alius universitatis datum est, unde & multis dicitur Feudum defensionis. Referrī huc possunt Protectores Ecclesiarum & monasteriorum &c. Feudum denique aperturae *ein aufgebig-Lehn* in hunc ordinem refertur, quod est quando Vasallus loco seruitiorum certam urbem seu arcem vel ipsum etiam Feudum Domino aperire tenetur. Hoc vero intelligendum quouis etiam alio tempore, etiam si vel hospitandi tantum gratia Dominus id velit ingredi.

## §. XII.

Restat ut videamus quomodo ratione transmissionis ad haeredes Feuda impropria sint; hoc vero fit, vel si ad omnes indistincte haeredes transmittantur, ut in Feudo mere haereditario *ein Erb-oder eigenthümlich Lehn*, quod ad omnes haeredes tam filias quam masculos transit, & de quo Vasallus absque consensu Domini pro lubitu potest disponere, quia per omnia naturam allodialium bonorum induit, ergo etiam secundum hanc iudicandum. Formulam investiturae exhibet *Noric. add. ad FINCKELTH. Disp. II. cont. 6.* Fundamentum huius in text. 2. F. 78. quaerunt, ubi haereditarii Feudi fit mentio, mihi tamen ex consuetudine potius postmodum enata haec Feuda esse videntur, quod & FINCKELTH. non negat, licet contra hoc Feudum grauius admodum assurgat *Disp. II. cont. 19.* Ut ut enim contra naturam Feudorum sit haec mera allodialis successio, fatendum tamen est, hoc dependere ab arbitrio Domini & Vasalli,



Vasalli, quum nihil obftet quo minus ita conuenire possint. Diuersam hoc Feudum naturam habet a Feudo mixto, de quo postea; etiam ab illo quod vocatur ex pacto & prouidentia, *ein Stamm oder Schwerd - Lehn*, vbi nimirum per pactum acquirentis & prouidentiam Domini legisque Feudalis Vasallo & eius descendentibus masculis successio competit, vt iuris Feudalis natura hoc requirit, vnde & ad propria Feuda pertinet. Alienabile Feudum huc etiam referunt 2. F. 48. quia in Feudo alienatio regulariter prohibita est 2. F. 52. & 55. in hoc alienabili vero, vt vocatur, licita apparet, sed haec strictissimae interpretationis est alienandi facultas. *vid. Praesidis diff. d. illicit Feud. alien. alienat.* Fit etiam improprium Feudum si successio transmittatur, ad haeredes quosdam tantum, vt in haereditario Feudo mixto, hoc vero tale esse dicitur, non ratione personarum succedentium, quippe vbi Feudalis naturae ratio habetur, sed ratione modi 2. F. 45. Dantur Feuda etiam quae ad nullos transeunt haeredes, quae exinde impropriis accensentur, sic est Feudum habitationis 2. F. 105. quando alicui ius praedium seu domum inhabitandi sub lege fidelitatis praestandae est concessum. Quia enim personae ratio in eiusmodi Feudo habetur, ergo ad haeredes non transit. Sed vt clara textus verba habent, morte accipientis expirat. Feudum de Camera non praetermittendum 2. F. 2. *ein Kammer - Lehn*, cum ex aerario Principis certa pecuniae summa annuatim soluenda alicui conceditur; cui coniungimus illud de Cavena *ein Küchen - oder Keller - Lehn*, vbi ex penu seu cella Domini frumentum s. vinum Vasallo quotannis praestatur. Vtrumque Feudum, si, quod raro contingeret,

tinget, sub hoc nomine hodie adhuc obueniat, ex plurimorum DD. sententia morte accipientis finitur, licet FINCKELTH. *Disp. II. c. 22.* strenue pro iis pugnet, qui ad haeredes id transire volunt, ea ratione motus quod hoc quoque feudum pro seruitiis praestandis conferatur. Probandum vero erat omnia Feuda in quibus seruitia praestantur transire ad haeredes, quod vix ipse Auctor affirmabit cum *fin. §.* concedat, expirare posse, si pro mercede temporalis officii data sint. Soldatae Feudum ultimo loco recensendum, quod est praestatio quaedam annua gratuita, siue in pecunia numerata, siue etiam in praestazione annonae &c. consistens 2. F. 20. (*Gnaden-Gelder*) Hoc tanquam mere personale dantis & accipientis morte soluitur, mere gratuitum est, ita vt seruitia nulla praestentur.

## §. XIII.

Haec sufficiant pro temporis & instituti ratione de variis Feudorum diuisionibus. Non quidem fugit nos, dari adhuc alias Feudorum distributiones aliasque species in DD. scriptis passim obvias, vt pensionarium, illud quod vocatur *Sattel frey*, Sueuica illa *Schupff-Lebn*, scutiferorum etiam, cuius 2. F. 74. mentio iniicitur &c. cum vero ita comparata sint ea pleraque vt partim nul-

lius vsus sint, partim cum aliis forte conueniant, studio relictis iis, in his quae allata sunt subsistimus.

F I N I S.

ADDITIONES EX PRAXI IVRIS  
FEVDALIS.

I.

Simultanea Inuestitura salua qualitate *des Erb-Lebns*, iure quoque Saxonico non absque effectu etiam si haereditarium feudum concessum fuerit *vor Erben und Erbnebmen Mann und weiblichen Geschlecht*: tribuitur, quandoquidem Descendentibus Ascendentibus ac Collateralibus deficientibus ad Successionem legitime aspirat simul. inuestitus uti resp. F. I. Lips. Mens. Mart. 1707. ad interrog. M. B. zu R.

II.

Etiam quoad Agnatos inter feudum natura vetus & pacto vetus nihil intererit, deficiente licet expressa conuentione, si qua liberalitatem Domini & Vassalli a. l. 19. §. 3. ff. d. donat. aut simultaneam inuestituram acceptam tulerint HARTM. PISTOR. L. 2. qu. 20. n. 8. seq. ita ut extrajudicialiter pacto implicite agnitio facta pariter fringat, quem in modum pronunc. F. I. Lips. Mens. April. 1704.

III.

Pactum inter simultanee inuestitos reciprocum de certa pecuniae quantitate in feudi comparationem collocanda iureque feudi constituendo, uno satis concedente, ius feudi haeredibus quidem non dat; actionem tamen ad id quod interest consequendam producit a. l. 140. §. 2. ff. d. V. O. l. 38. ff. d. solut. ceu ad consultat. H. H. Schroeters resp. F. I. Lips. Mens. Iun. 1704.

IV. Fi-

Filiae haeredes patris factae successionem in pecunia, quam pater agnato per pactum constituerat *zum Lebnstam*, licet eadem allodialis actu sit, praetendere nequeunt, dum factum patris agnoscere praestareque tenentur, ita pron. F. I. Lips. M. Febr. 1705. Pariter sola paterna dispositio ultima & eo ipsas adstringit, nisi id quod interest exsoluere malint uti resp. F. I. L. Mens. Dec. 1707. vt & A. 1708. Mens. April. ad consult. W. zu Dresden.

V.

Pecunia ex feudo redacta inque feudum comparationem impendenda, ante realem versionem inuestituramque de eo factam, feudalis non est a. l. f. 25. II. f. 1. §. f. quem in modum resp. F. I. Lips. Mens. Dec. 1705.

VI.

Feudum mere haereditarium in casu quo vertitur *ein Mann-Lehn in Erb-Lehn* adiecta clausula *daß er und seine Erben davon zu restituiren und zu disponiren Macht habe*, effectum non est, adeoque nec in legitimam imputari potest, siquidem ipsi natura allodii nondum tributa nec qualitas personarum succedentium immutata ita resp. F. I. Lips. Mens. Sept. 1702. Pari modo ex verbis *zu einen Rechten Erb-Lehn daß er damit als mit seinen eigenen Erb- und wohlgekommenen Gute seines Gefalens gebühren möge* feudum esse mere haereditarium factum foeminasque in eo succedere posse, non conficitur; quam sententiam tenuit F. I. L. Mens. Aug. 1704.





ULB Halle


3

000 654 957




TA-06









1990.

EXERCITATIO FEVDALIS  
II.

14  
1714  
11

DE  
**VARIIS**  
**FEVDORVM**  
**DIVISIONIBVS**

13

QVAM  
PRAESIDE  
GODFR. LVDOV. MENCKEN  
D. P. P. COLLEGIORVM IVRIDICORVM  
QVAE VITEBERGAE SVNT, VT ET IVDICII  
PROVINCIAL. IN MARCHIONATV INFERIORIS  
LVSATIAE ASSESSORE

DOMINO ET STVDIORVM SVORVM  
PROMOTORE AETERNVM COLENDO

D. MAL. M DCC XIX.

PVBlice TVEBITVR

AVTOR

GOTTLOB EHRENHARTZ GRVHL.

EX OFFICINA VIDVAE GERDESIAE.

